



DE
RATIONE

Exercitia disputandi rectè instituendi.



U*i* iuvenum animos vera sapientia imbuere & ad veri & falsi cognitionem perducere student, inter alia exercitia etiam disputationes commendant, quibus animus excitatur, iudicium firmatur, & lingvæ volubilitas acquiritur. Nec improbandum videtur studium, iuvenibus gratum & multis probatum; ita tamen id instituendum esse autumo, ne vitia, ad quæ juvenus proclivis, inolecant, & succrescant. Vereor ne disputandi studio indulgentes in conversatione aliis contradicere, & ob res levissimas inimicitias excitare consuescant, non nisi multo labore sopiendas. Contradictione exardescit animus, multisque verbis defendit opinionem semel probatam, si deficient rationes, ad convitia dilabitur, quæ ab aliis pari fervore repelluntur. Tandem ex rebus minimi momenti oriuntur dissidia maxima,

A 2

nec-